



Nr. 14

Q. D. B. V.

DISSSERTATIONUM ANTIPORETIANARUM
ET SIMUL ANTISOCINIANARUM

TER TIA

DE

CULPA SEU REATU
ET POENA PECCATI,

SPECIATIM ADAMICI,

ET DE PECCATORIS DEBITO;

TANQVAM OBJECTO JUSTITIÆ DEI VIN-
DICIS, ET SUPPOSITO DOCTRINAE DE SA-
TISFACTIONE ET JUSTIFICATIONE FORENSI:

QVAM

IN REGIA FRIDERICIANA

die VIII. Aug. anni hujus MDCCXIX.

PRAESIDE

JOACHIMO LANGIO,

SS. THEOL. D. ET PROF. ORD.

Publicæ disquisitioni submittit

ae.

RESPONDENS

JOANNES JOACHIMUS LANGIUS,
BEROLINENSIS, S. TH. CULTOR.

HALAE SAXONUM,

Typis JOAN. FRID. KROTTENDORFII, Acad. Typ.

DISSESTITIAGLOM ANTHOPORETAMARUM
ET SIMILY ANTISOCINIARUM

TERRITA

CULPA SEU REATA
ET PORNIT PRACTA

ET DECACATORIS DEFLITO
TANOVAM OPE TO JUSTITIE DEI AV
DIC. ET DICO TUA DOCTRINA DEI AV
IN VENATIONE ET JUSTIFICATIONE LORENTZ

640

In REATI FREDERICIANA

A NUN D. 1616. 1617. 1618. 1619. 1620.

PRAESIDIO

JOACHIMO LANIGO.

SS. HECR D. AT. L. O. O. O. O. O. O.

PARVUS Quidamq; i. t. p. q. i.

RETONDENS

JOAKIMUS JOACHIMUS LANIGO

HEROICUS ET. A. D. I. O.

NUDE SQUAMIS

QV. IOAH. 4. 10. KOTATTANODDII. AG. 14.



LECTORI BENEVOLO

SALUTEM PLURIMAM!



Uo hic monenda sunt. Primum, non exhiberi hic peculiari Sectione errorrem POIRETI, ejusque discussio-
nem. Cujus intermissionis hæc es-
ratio, quod Auctor in suo Theolo-
giæ Systemate, quod *Oeconomiam Di-*
vinam vocat, dogma de peccati culpa
& reatu plane præterit, tractatione
sua totus in peccati inhærentis *danno* & *miseria* occu-
tus. Qui defectus in ipso non sane est exiguis, ortus ex
errore de justitia Dei vindice & pœna. Hac enim in
sensu proprio negata non poterat non etiam culpam, seu
reatum, negare. Hunc vero non tam negatum ivit ope-
rose, quam præterit, de eo plane silens, silentio hoc suo
sibi viam parans ad negandum *sensum forensem* doctrinæ
de *Satisfactione* & *Justificatione*. Quare nunc sufficit sola
doctrinæ evangelicæ demonstratio, evidentiæ caussa no-

AD LECTOREM.

va & ea methodo adornata, ut errorem Poireti, *errori Socinianorum* parallelum, non valide minus, quam facile, destruat: quēmadmodum e Disput. IV. Sect. II. ubi etiam hujus Dissertationis *παρασκευασμῆς* applicatio fiet elenctica, pluribus constabit.

Ipsa vero doctrina de peccati *reatu* cum sedem suam præcipuam habeat in posteriore parte epistolæ ad Romanos, ea Sectione hujus Dissertationis posteriore explanata sifstitur. Qui noui ignorant, quanta in Paulino hoc textu difficultas, aut obleuitas, imperitis lectoribus objicitur, hanc explanationem æqui bonique consulent, ut pote non sine cura concinnatam, ea, quæ desiderantur, pro habilitate sua hermeneutica facile suppleturi. Loco autem isti primario additur explanatio alterius loci παραλλήλα ex epistola ad Eph. II, 3.

Deinde monendum est, doctrinam de *peccato*, in quantum illa ad Anti-Poiretianæ tractationis institutum pertinet, hac Dissertatione non exhiberi integrum, uti propositum erat, sed illam ejus partem, quæ de *imputatione* agit, hic suspensam reservari ad peculiarem, eamque proximam, & numero *quartram* Dissertationem. Qua quidem ratione constitutus disputationum numerus duodenarius augebitur: sed præstat hunc augeri (id quod etiam in una atque altera sequentium materiarum fiet) quam Responsuros, si disputatio in formam majorem excrescat, onerari impressionis sumtibus, in aliquam ejus partem impendendis. Vale in DOMINO!

SECTIO

(10)

SECTIO PRIOR DIDASCALICA DE PECCATO EJUSQUE CULPA, SEU REATU ET POENA.

PROPOSITIO I.

*Peccatum supponit legem obligandi vim
habentem, contra quam committitur,
& notat culpam committentis.*

ILLUSTRATIO.

Peccatum secundum effatum Joannis I. ep. c. III, 4. est *ἀρούρα*, aberratio a lege, seu violatio legis. Ergo legem supponit. *Ubi enim non est lex, ibi nec est transgressio*, ut ait Paulus Rom. IV, 15. Transgressionem vero culpam esse, res ipsa indicat. Etiam *pactum* est legis instar, obligandi vim habens, & inter inaequales eo maiorem apud inferiorem partem, quod superior hanc, loco imperii, honore pacti fuerit dignata, & officia per se debita, pro συγκαταθάσει sua, amicitiae nomine exigat.

PROPOSITIO II.

Culpa parit reatum, seu eum peccantis statum, in quo is est *ενοχή*, seu *ιπόδικός*, reus, vi legis violatae judicio ad poenam obnoxius. Conf. Jac. II, 10. Hebr. II, 2. 15. Rom. III, 19.

ILLUSTRATIO.

Tria haec momenta distincta videmus a Paulo Rom. V, 16. ubi ait, *ex uno delicto, seu culpa, κρίμα, reatum, venire εἰς κατανίκην, ad condemnationem*. Omnis enim lex obligandi vim

6 SECTIO PRIOR D'DASCALICA.
habens, secundum JCorum regulam, & ipsum juris naturæ
principium, obligat ad præstandam obedientiam, & hæc inter-
missa ad penam subeundam; utpote quæ in neglecti officii
locum succedit,

PROPOSITIO III.

Pœna est vel *damni*, seu *privativa*, po-
sita in privatione boni; vel *sensus*, seu
positiva in illatione mali, quod cum de-
lictio proportionem habet.

ILLUSTRATIO.

Hoc axioma per se luce radiat sua & quotidiana expe-
rientialia comprobatur in ipso foro humano, ideoque multo ma-
gis locum habet in divino, in sacris litteris toties celebrato.
Pœna vero *sensus*, qua nonnullis a judicio divino abesse vide-
tur, demonstrata est Dissertatione II. de *Justitia Dei vindice*.

PROPOSITIO IV.

Protoplasti habuerunt legem, partim
insitam & *generalem*, sitam in imagine Dei;
partim *positivam*, seu *specialem* de usu fru-
ctuum paradisi. Utraque eo magis eos
obligabat, quo majores ipsis vires ad
præstandum obsequium erant donatae,
& quo magis lex e legislatoris *ouynata. 3. 0. 0. 0.*
ad pacti naturam accedebat.

ILLUSTRATIO.

Imaginem Dei in homine fuisse legis instar, liquet par-
tim

SECTIO PRIOR DIDASCALICA.

tim e re ipsa, quia commonstrabat Dei voluntatem , requirebatque , ut hominis voluntas pro donatis viribus ei perpetuo conformaretur; partim ex eo, quod imaginis divinae instauratio secundum scripturam sacram est ejusmodi negotium Spiritus Sancti , quo hic legem cordibus nostris rursus inscribit. Vide Jer. XXXI, 31, 32, 33. Hebr. VIII, 9. scqq. X, 16. Conf. Rom. V, 17. 2 Cor. III, 2, 3. Ad pacifici vero naturam accessisse legem insitam , vel ex eo manifestum est, quod lex illa in decalogo repetita & promulgata, & secundum rigorem & spiritualitatem suam per universum sacrum codicem declarata, pacem pacifici, seu fæderis, nomine appellatur. Confer omnino Hof. VI, 7. Et illi, us Adam, transgressi sunt fædus.

PROPOSITIO V.

Delicatum protoplastorum commissum est non solum adversus legem positivam , ieu specialem, sed etiam adversus insitam , ieu generalem.

ILLUSTRATIO.

Manifestum hoc est .] e natura utriusque legis convenienti. Utraque enim lex exigebat obsequium. Atque ita lex specialis violari non potuit sine violatione generalis; utpote quæ requirebat subjectionem sub Deo, & harmoniam voluntatis humanae cum voluntate divina. Ab hac autem & ab illa se avulsit homo per violationem legis specialis, contracta labe.

2] Idem comprobat jactura imaginis divinae, seu legis inscriptæ, quippe quæ per istam violationem perdita est.

PROPOSITIO VI.

Culpa protoplastorum delicto commissa ingens contraxit debitum, quod huma-

8 SECTIO PRIOR DIDASCALICA.
humana natura per se exsolvere nequit.

ILLUSTRATIO.

§. I.

Humana natura per imaginem Dei inestimabile accep-
rat talentum, eum ipsi in finem a Deo concreditum ac depositum,
ut illud in Dei gloriam fideliter collocaret & fideli hoc
usu augeret. Conf. Rom. VIII, 12. Matth. XXV, 29. Verum enī
vero ubi decocta sunt bona ista, natura nostra non solum hæ-
ret in culpa mala fidei, sed etiam in ingenti debito, cui solvendo
est impar.

§. II.

Hoc est, quod passim declaratum videmus in sacris literis. Debitorēs enim nos constituit lex obligatione & exactione sua, qua dilectionem requirit e toto animo, ex omnibus viribus ac facultatibus Deut. V, 6. Matth. XXII, 37, 38. Rōm. XIII, 8. Conf. Matth. XVIII, 28, 32. 1 Jo. IV, 11. quam quia præstare haud possumus, nos execrationi, seu poenit, subjecit. Gal. III, 12, 13. Deut. XXVII, 26. Jer. XIII, 3. Hinc cogimur querere Sponsorem, qui solvendo pro nobis satisfaciat, & respectu ad ipsum habito identidem ingeminare solenne illud orationis dominicæ petitiū: r. mitte nobis debita nostra. Matth. VI, 12.

§. III.

Natura vero humana in duplice hæret debito, uno positivo, altero privativo. Positivum debitum est obligatio Deo obediendi, seu cultum præstandi sincerum ac perfectum, secundum præscriptum illud, quod illa una cum viribus in imagine Dei habuit. Privativum debitum est illa obedientia & cultus, cum summa aversio & aversione conjuncta, intermissio, quæ lapsus apud omnes homines infœcta est. Hinc debitorum solutio & condonatio quo sensu dicantur, dijudicari potest.

§. IV.

Solutio debiti positivi nihil est aliud, quam perfecta legis imple-

SECTIO PRIOR DIDASCALICA.

impletio, quæ imagini Dei, protoplastis concredita & legi morali, in rigore suo spirituali considerata, conformis est. *Solutio* autem debiti privativi est perfecta perfectæ illius, at intermissæ, impletionis compensatio. *Remissio debiti positivi* est absolutio ab obligatione, qua homo Deo ad cultum obstrictus est. *Remissio debiti privativi* est absolutio ab obligatione, qua homo Deo ad intermissi cultus & officii compensationem, seu satisfactiōnem, devinctus tenetur.

§. V.

Debiti positivi remissio non cadit in Deum. Deus enim se ipsum negare nequit. Negaturus autem esset, si, creaturam ab obligatione obsequii & cultus absolveret, tanquam a se haud amplius dependentem. Quid enim hoc foret aliud, quam abrogata veri & recti lege *avopiai* omnem, data impunitatis promissione, stabilire? Atque ita *solutio debiti positivi* simpliciter est indispensabilis, seu necessaria; per legem aeternam, qua est in immutabili Dei natura, speciatim in ejus *justitia* & *sanctitate*, cum jure in creature suprēmo & immutabili conjuncta. Immō ne amor quidem Dei erga creature ejumodi dispensationem, seu absolutionem, fuisse permitturus. Pro hoc enim Deus hominis beatitatem intendit, in divino cultu & obsequio positam, seu inde ordinis causa redundantem. Unde qui finigeret absolutionem Dei ab obsequio ipsi prestanto, tribueret Deo invidiam & odium erga nobilissimam creaturam, hominem, quasi ipsi beatitatem invideret.

§. VI.

Nec simplex debiti privativi remissio cadit in Deum. Quemadmodum enim homo vi juris illius, quo, ut creature creatori, Deo ad cultum est obstrictus, & vi immutabilis Dei naturæ, absolvī nequit ab obligatione debiti positivi; ita iisdem etiam argumentis obstrictus tenetur ad compensationem debiti privativi, seu officii sui intermissi. Si enim Deus vel

B

ad

10 SECTIO PRIOR DIDASCALICA.

ad momentum a suo in creaturam jure recederet, eique negati obsequii reatum remitteret, remitteret eidem simul obligationem a se Deo, dependendi, atque ita negaret sem et ipsum, ordine, qui inter se & creaturam est, sublato.

§. VII.

Nec quidquam hic valet instantia, a modo remittendi humano, qui inter personas privatas est, petita. Homo enim privatus homini remittere potest debitum & culpam sine satisfactione. Nam homo creditor & Iesus 1. non est σειωθως iustus & sanctus, sed ipse defectibus laborat, ideoque etiam aliorum ιπταμένων indiget: 2) non habet jus & potestatem judicialem in alium, sed eum ut fratrem considerat: 3) non ignorat, delictum potius contra Deum esse commissum, quam semet ipsum. Quare cum condonatione Deo rem totam committit, in primis si certo noverit, debitorem seu offenditorem suum nulla delicti sui poenitentia duci. Alia vero est ratio in remissione culparum, si remittens sit persona publica, seu judex, & culpam adversus personam tertiam commissa sit.

§. VIII.

Præterea debitum humanum a divino etiam sequentiibus differt momentis: 1. debitor hominis ex alienum contrahit creditore haud invito. Natura vero humana Deo maxime invito, ideoque non sine culpa sua, sensu negativo facta est debitrix, solutionis impotentia laborans. 2. Homo homini quod mutuo dederat, donare potest, ita ut restitutionis obligatio cesseret. Deus vero, uti jam dictum est, ne voluit quidem, ut humana natura culpa sua istam solvendi αδυνατίαν contraheret, tantum abest, ut ipsam salva justitia ab obligatione compensationis absolvere possit. Vindicias locorum, Matth. XVIII, 23. seqq. Eph. IV, 32. vide Mittel-Strasse Part. III. p. 56. seqq.

§. IX

SECTIO PRIOR DIDASCALICA.

ii

§.IX.

Etsi homo, in gratia statu constitutus, debita sua exsolvere laborat, creditori tamen Deo satisfacere nequit. Nam 1. solutio fit ex viribus, non propriis, e deposito illo concrediro derivatis, sed ex alienis, seu ipsius Dei, propter lytrum Christi donatis, quae exsolutionem vicariam jam supponunt. 2. Solutio ista imperfecta est; Deus autem perfectam requirit. 3. Eadem est tantum de tempore praesenti, ideoque apud eos, qui non exiguum, certe aliquam, etatis sua partem sub dominio peccati transegerunt, defectum pristinum compensare nequit. Quidquid enim homo regenitus praestat, fit ex debito in praesens, & ne sufficit quidem, tantum abest, ut prateritos defectus supplerre possit. Arque ita respectu meriti deprehenditur *servus inutilis*, qui fecit, quae debebat. Luc. XVII, 10. Propria vero satisfactione ubi excluditur, alienae necessitas cognoscitur.

PROPOSITIO VII.

Delictum, seu culpa protoplastorum, ingenti debito innexa, magnum induxit reatum.

ILLUSTRATIO.

Reatus protoplastorum, culpa inductus, magnus fuit: 1. respectu Dei benignissimi, sanctissimique & justissimi, qui culpa ista gravissime laesus est: 2. respectu ipsius hominis, qui quo facilius in statu integritatis perstare suaque debita exsolvere poterat, & quo constantius in eodem perseverare debebat, eo gravius defectione sua peccavit: 3. respectu culpe ipsius, in qua, prater reatum, debiti contracti & non exsoluti aequaliter cum aequaliter adversus Deum conjuncta fuit. De qua peccati gravitate vide, quae Dissert. II. de *justitia Dei vindice dicta* sunt.

B 2

PRO

SECTIO PRIOR DIDASCALICA:
PROPOSITIO VIII.

Culpa protoplastos vi reatus duxit
ad pœnam, eos judicio Dei obnoxios
reddens.

ILLUSTRATIO.

Quemadmodum enim, teste conscientia, culpam senserunt nulieri, ita etiam pœnam reformidarunt, eam ex parte intra se jam experti. Quare legis violatae, & comminationis de morte eidem annexæ, non immemores, in signum perculsa conscientia & reformidata pœna latebras quæsiverunt. Qua ratione reatus pœnam quasi pedissequam habeat, inter alia vide Psalm. V, 11 ubi mentioni reatus, **הָאֲסִיר אֶל-חַיִת**, reos illos perage, o Deus, statim subhjungitur pœna: *decidant de confilicis suis, propter multititudinem defectionum depelle eos.* Conf. Difserit V. Prop. IV. & XII. & infra in hac Dissertat. Prop. XI.

PROPOSITIO IX.

Pœna protoplastorum, e culpa vi reatus attracta, erat partim *privativa*, seu *damni*, partim *positiva*, seu *sensus*.

ILLUSTRATIO.

Pœna *privativa* erat in imaginis divinae jactura, seu morte spirituali, cum iusta Dei desertione conjuncta: *positiva* in attracta contraria labo, seu morte qualibet, spirituali [positive ratione pravae cupiditatis considerata] corporali & æterna, omnis generis malis, cuius sensus est gravissimus, abundans. Mors enim fuit totius hominis. Ergo non solum corporis, sed animæ etiam mors est, & secundum hanc vel inchoata, vel consummata, seu spiritualis ac æterna. Hoc est, quod perhibet Paulus, *per peccatum venisse mortem* Rom. V, 12. Venit vero

SECTIO PRIOR DIDASCALICA.

13

vero non tam post *predicationem*, tanquam res nude prævisa,
quasi in arbore prohibita, physice considerata, latitasset cauſa
mortis physica; quam post *comminationem*, ita ut eventus sit
loco poenæ, a justo iudice statuta.

PROPOSITIO X.

Itaque delicto protoplastorum actu-
ali duplex contractum fuit malum; ma-
lum culpæ, reatu suo ad poenam du-
cens; & malum damni ac sensus, in ja-
ctura imaginis divinæ & summa exfol-
vendi debiti *adversaria* posatum, & cum la-
be peccati habitualis inhærente, tan-
quam aliorum malorum fonte, conjun-
ctum.

ILLUSTRATIO.

Sumamus hujus rei imaginem in homine optima præ-
dicto valetudine. Hic si semet ipsum data opera privet ea, hæret
in duplice malo; uno *culpe*, quia ipse aliquam *aversariæ* spe-
cieræ in se prudens sciensque commisit; altero *damni* & simul
sensus in privatione sanitatis & inductione morborum alio-
rumque incommodorum. Ad quorum malorum sensum
& agnitionem quando adductus est, vehementer angitur, uti con-
scientia propriæ culpæ, sic etiam damno valetudinis, nec non
attractorum morborum, aliorumque incommodorum, ex-
perientia.

Item sumamus imaginem malitiosi decoctoris. Hic quia
& sua & aliorum bona, sibi coneredita, suamet culpa decoxit,

B 3

est

est in reatu decoctionis, & simul in miseria paupertatis, item in formidine majoris afflictionis, ob culpam suam subeundæ. Eadem fuit ratio protoplastorum, si, quod rei caput est, consideremus.

PROPOSITIO XI.

Doctrina de peccati reatu, condemnationis judicio peccantes obnoxios reddens, non parum elucescit e schola ac disciplina sacrificiorum Levitica.

ILLUSTRATIO.

Actionem sacrificialium nervus ac centrum quasi erat *expiatio*. Expiatio vero supponebat *avopūā*: *avopūā* pariebat *reatum*, quo ὁ ἀνομοῦ

τός

 divino judicio ad poenam erat obnoxius. Lev. IV, 2. seqq. V, 1. seqq. v. 15. seqq. 17, 18, 19. in cuius rei indicum is dicebatur *portare iniquitatem suam* c. V, 17. h. e. sustinere culpam poena expiandam. Unde phrasι, *portare iniquitatem suam*, non raro ipsam penam mentionem additam videas, ut: Exod. XXVIII, 43. Lev. XIX, 8. XX, 17, 19. XXII, 9. XXIV, 15. 16. Num. V, 31. XIV, 34. XVIII, 22. XXX, 16. Ezech. XVIII, 19, 20. Qua pena ut reus levaretur, tenebatur sui loco Domino offerre sacrificium pro reatu, aut peccato, & iia quidem, ut victimæ sacrificiali adhibita *χειροθεσία* peccata sua imponeret, seu illa in eam transferret, per ipsam expianda. Vide ibidem c. IV, & V. Facta autem oblatione, & speciatim sparso sanguine, facta erat expiatio, ita ut sublato reatu delictum esset condonatum. *Ibid.* Non vero existimandum est, non aliam fuisse *avopūā*, quam Leviticam illam, in externis positam. Cum enim tota res Levitica esset repræsentatio internorum & spiritualium, externa impuritas internam, in qua præcipius est reatus, per contagium inde ab Adamo tractus, repræsentabat, e legis moralis applicatione

SECTIO PRIORI DIDASCALICA.

15

tione facile agnoscendam. Agnita vero in primis anniversario isto magna expiationis die, de quo Lev. XVI, in gratiam totius populi Israelitici expiabatur. Et ut agnosceretur, hominem jamtum cum & in reatu *nasci*, *puerperæ* primo tempore pro impuris habebantur, ideoque certis victimis piacularibus erant expiandæ. Lev. XII. Conf. Psalm. LI, 8. seqq. Et eadem impuritatem spiritualem, quæ cum reatu Adamico, seu hereditario, attracta est, etiam sub figura *leprosorum*, eorumque curatione & expiatione, fuisse depictam, alibi ex instituto demonstratum est. Vide *Myster. Christi & Christianismi* Part. IV. c. II. p. 455. seqq. Eadem quoque fuit ratio aliarum figurarum.

PROPOSITIO XII.

Duplici isti malo, hactenus descripto, duplex medetur gratia, seu duplex unius ejusdemque gratiæ divinæ praxis: malo culpæ & poenæ, seu *reatui*, medetur gratia forensis, ex lytro oblata: malo damni ac sensus gratia medicinalis, seu sanctificans. Qua conjunctim admissa nullum poena locum retinere potest, utpote cum culpa jam tum per gratiam forensem sublata.

ILLUSTRATIO.

Neutrum gratiæ prafidium, seu auxilium, applicari potest sine altero. Quod si enim gratia forensis, peccatorum reatum cum pena remittens, sola ageret, remitteretur is *ἀμετανόητος*, seu

seu peccatoribus sub peccatorum potestate & dominio perseverantibus: quod absurdum. Si vero gratia medicinalis in salutis negotio, seu in subigendo & expurgando intra nos peccato, sola esset occupata, conscientia non liberaretur a reatu multiplici, cum pristino, ante conversionem, tum novo, qui ex peccato originali, et si dominium ejus fractum est, quotidie resultat: tantum abest, ut, imperfectionis ac munditiae sua sensu afflcta & oppressa, animo esse possit fidenti & ecclesio.

PROPOSITIO XIII.

Ex integra hac tractationis serie liquet, in doctrina de peccato duas haec voces, *debitum* & *culpa* esse necessarias, sensum vero ipsarum valde esse diversum.

ILLUSTRATIO.

1. Vox nostra Germanica *Schuld* sensus est latioris. Adhibetur enim non solum de *reatu*, sed etiam de *debito*, sed propriè de eo tantum, quod supra Præpos. IV. §. III. privativum dictum est, seu quod contraximus. Unde non solum ambiguitatem, seu obscuritatem aliquam, parit in nonnullis locutionibus, sed inadæquata etiam est ad exprimendum *debitum positivum*, seu *officium nostrum*: quod vero commodissime exprimitur per vocem *Schuldigkeit*.

2. E distincto vocum, *debitum* & *reatu*, sensu usque illustratur doctrina de *obedientia Christi activa & passiva*. Nam Christus per *obedientiam activam* explevit *debitum nostrum*, per *passivam* sustulit *reatum*. Vide Dissertationem de SATISFACTIONE, & speciatim Propositionem XVII.

PRO-

SECTIO PRIORI DIDASCALICA;
PROPOSITIO XIV.

17

Culpa, seu reatus, poena dignus, est
objectum justitiae vindicis.

Illustrationis loco videatur Dissertation II.

PROPOSITIO XV.

Doctrina de peccati culpa, seu reatu,
ad poenam ducente, cum magno debito,
cui solvendo impares sumus, con-
juncta, est suppositum doctrinæ de Sa-
tisfactione & Justificatione.

In veritate manifesta non opus est illustratione: quam ta-
men suo tempore & loco peculiares Dissertationes de Satisfa-
ctione & Justificatione dabunt.

SECTIO POSTERIOR EXEGETICA
DE
CONFIRMATIONE DOCTRINA
NAE SECT. I. PROPOSITAE, E CAPITE QVIN-
TO EPIST. AD ROMANOS, ET E COMMATE
3. C. II. EPIST. AD EPHESIOS, OBSERVATIONIBUS
HERMENEUTICIS ILLUSTRATO, DESUMTA.

OBSERVATIONES AD COMMA 12. cap. V. Ep. ad Rom.

1. In antecedentibus probe notandum est beneficium Christi summum, in *Satisfactione* positum, & commemoratione mortis ejusdem vicaria pro nobis v. 6. 7. 8. ac reconciliations nostræ cum applicatione ad iustificationem & certitudinem salutis nostræ v. 9. - 11. notatum.

2. Voces *diatesseron*, *propterea*, *derohalben*/ illationem faci-
C
unt

SECTIO POSTERIOR EXEGETICA.

unt ex antecedentibus talem, qualis fieri solet a posteriori. Egerat enim Apostolus de reconciliatione. Cujus necessitas ut agnosceretur, ab ea facit illationem ad reatum, jam inde a lapsu Adami participando contractum. Illationis vero istius ratio ut fiat evidentior, elliptica sermonis structura, [qua etiam alias in integro contextu hic est obvia] hoc modo est suppleenda: *Quapropter ita se res habet, quod sicut per unum hominem ita etiam &c.*

3. Durum est, hic post verba προτέσσεως: ὡσπερ statuere ἀναταπόδοτον, aut ὑπέζετον, apodosi demum ad v. 18. relata. Nec opus est alterutro, cum apodosi adsit in ipso hoc commate, nimirum inde a vocibus καὶ ἔτος, ita ut sensus sit: *Quemadmodum peccatum invasit genus humanum in capite ipsius, sic in hoc non subsistens illud totum pervasit.* Ubi quidem in apodosi particula καὶ, si vel ex Hebraismo redundare, seu in comparatione apodosin protasi jungere, vel per metathesin priori loco pro ἔτος καὶ, posita esse statuatur, aliquid habet incommodi, minus tamen, quam ἀναταπόδοτον, aut ὑπέζετον, habitum esset.

4. Per unum hominem intelligitur *Adamus*, uti liquet e v. 14. & 1 Cor. XV, 45. 49. Et quamvis *Eva* prior fuerit in transgressione 1 Tim. II, 14. tamen Adamo potius, quam ipsi, lapsus tribuitur, quia conjugis sua fuit caput, utpote ante ipsam creatus, qui etiam cum peccante muliere consensit, cum peccatum impedire debuisset.

5. *Peccati* nomine hic commode intelligitur peccatum affuale Adami, seu prima ejus παράπονη, quarupto, quod cum Deo habebat, foedere, ab ipso defecit: quia sic a *peccato mors* evidentius distinguitur, & hac ratione verbum sequens, ἡμαρτεῖ, commodius referri potest ad primæ culpæ participationem & imputationem. Quod si vero per peccatum intelligere velis corruptionem humanæ naturæ, verba præcedentia *per unum hominem*

SECTIO POSTERIOR EXEGETICA.

19

hominem intelligenda sunt de uno homine, in quantum fuit peccans, & sic *moris* nomen ad mortem corporalem & aeternam, tanquam corruptionis istius consequens, esset restringendum.

6. *Peccatum* quidem iam tum erat in mundo, si spiritus lapsos respiciamus, *ingressum* tamen *in mundum* est, in quantum mundus consideratur ut recens conditus & inferior, respectu Adami, qui visibilis eius praes & generis humani caput, immo microcosmus erat. Atque ita peccatum ingressum est per *Adamum*, ut personam singularem, *in Adamum*, in quantum haec persona totum humanum genus representabat, ideoque in ipsum humanum genus, quod hoc ingressu simul & labis & culpa participatione est infectum.

7. *Mortis* nomine hic generatim intelligitur omnis corruptio & destructio, quam interdictum divinum comminatur, & quae interminationem istam, intercedente actu peccandi, infecta est, in corpore & anima, ad hanc & futuram vitam: h. e. mors corporalis, spiritualis, ac aeterna, tanquam poena culpa. Quo sensu *mors* dicitur stipendium peccati Rom. VI, ult. Conf. C. VIII, 13.

8. *Mors* per peccatum ingressa in progressu tractationis a Paulo ita describitur, ut contineat *νείρα* & *κατάκηρνα*, & opponatur regno in vita & ipsi vita aeterna v. 16. 17. 18. 21.

9. *Mors* haec, per caput insidioso & captioso ingressa, tyranni & exundantis maris instar vi perruptis omnibus repagulis & aggeribus, in totum corpus morale, seu humanum genus, inde propagatum, *graftata* est, horribili ista natura humana corruptione per ipsam nascendi sortem communicata.

10. Locutio ἐφ' ὃ rarius sumitur *causaliter*, pro eo quod, ut Phil. III, 12. frequentius *relative* & *subjective*, ut Marc. II, 4. Phil. IV, 10. καὶ τ. λ. ιπτι enim sapissime ponit pro *iv* notissimum est. Res vero hic eodem recedit, quo cunque sensu id

C 2

hic



20 SECTIO POSTERIOR EXEGETICA.

hic acceperis, uti e sequenti aphorismo liquet. Sensum ad Adamum esse referendum respectu causæ, patet ex effectu, morte, eo relata i Cor. XV, 22.

11. Mors pertransivit in omnes homines, *εφόδη* siquidem omnes peccarunt, scilicet in & cum Adamo, capite suo foederali, culpæ facti participes; seu *εφόδη*, in quo, (primo isto homine) omnes peccaverunt.

12. In Adamo omnes peccaverunt. Non autem *actu* in personis suis; ergo per *imputationem* ex supposita participatione, quam singula corporis membra habent cum capite suo foederali ac representativo, in quo radicaliter & seminaliter omnes jam existiterunt. Et hoc est quod dixerat Paulus c. III, 23. *Omnes peccarunt, destituti gloria Dei, seu glorioſa Dei imagine.* Bene sentit in h. l. B. WELLERUS, quando: *Nos, inquit, prementes B. Meifneri & aliorum orthodoxorum vestigia, tria in peccato agnoscimus: 1. culpm actualem: 2. reatum legalem: 3. pravitatem naturalem. Ista tenemur participatione; peccavimus enim in Adamo omnes. Illo, imputatione. Stabat enim & cedebat primus homo, ut caput, in quo conservarentur & perderentur privilegia. Hac propagatione, quia in omnes per conceptionem naturalem diffunditur.*

Ad comma 13. 14.

1. Particula *γας* hic retinet vim suam cauſalem & explicativam. Comprobat enim Paulus peccati *εστιλευσιν* & *διελευσιν* ab eventu, seu experientia temporum ante legem.

2. Particula *ἄχει, usque*, pro significatu suo haud exclusivo ita ponit antecedens, ut consequens non excludat. Tempora vero priora notantur ideo, quia in iis ante legem peccatum minus agnoscebatur; uti sequitur.

3. Legem hic de lege Moysica accipiendo esse, comprobat v. 14, ubi *ἄχει νόμος* explicatur per *μίκρη μωσίως*.

4. A-

SECTIO POSTERIOR EXEGETICA.

23

4. *Auætria* hic est corruptio humanae naturæ ingens & originalis, per humani generis propagationem longe lateque diffusa: atque ita *auætria* est omnis *avopia*, etiam latentior, quo prater τὸ ἐκάστοιν etiam τὸ ἀκάστον pertinet, Luc. XII. 48. Act. III. 17. Rom. VII. 14. 15. 16. 1 Tim. I. 13. Conf. Lev. IV. 13. 14. 15. Num. XV. 27. Unde recte Apologia A. C. p. m. 58. *Hæ sententie [nihil est peccatum, nisi voluntarium] apud philosophos de civili iudicio dicæ sunt, non de iudicio Dei.*

5. Verbum *ἰλογεῖν* hic notat estimationem, non vero *Dei*, quæ sit per imputationem; siquidem negari nequit, peccatum ratione culpæ inhærens etiam ante legem hominibus a Deo fuisse imputatum: sed *ipsorum hominum peccantium, positam in agnitione peccati.*

6. Particula *ἄλλα*, sub initium commatis 14. posita, non est adversativa, sed explanativa, seu nota rei majoris. Post quam enim præcessit: peccatum erat in mundo usque ad legem, non autem reputabatur sine lege, subiungitur: immo regnavit [scilicet per illud] mors inde ab Adamo usque ad Moſen: quasi dicat: adeo non absuit peccatum eo tempore, ut mors per illud ingressa dominando grassata fuerit. Hoc sensu τὸ *ἄλλα* ponitur Jo. XVI. 2. 2 Cor. VII. II. κ. τ. λ.

7. *Non peccasse in similitudine transgressionis Adami, est peccatum ejus actuale, quo mortem sibi attraxit, actu ipso non commisisse; id quod hic non solum de infantibus, se de omnibus etiam Adami posteris, generatim dicitur.*

8. *Adamus* dicitur *typus τὸ μίλωντος, futuri, nempe Adami*, qui scilicet tempore Adami primi, non vero Pauli scriptoris, adhuc futurus erat.

9. *Antitypi cum typo convenientia est* 1. *ratione causæ:* ubi utrinque est *caput fœderale* totius humani generis, hoc totum repræsentans. Conf. I Cor. XV. 21. 22. 2. *Ratione effectus,* & quidem bifariam in contrariis. *Sicut enim Adamus amittit*

C 3

22 SECTIO POSTERIOR EXEGETICA,
sit bona & introduxit mala universo humano generi; ita Christus eidem bona peperit & mala abstulit. 3. Ratione modi, in
imputatione per participationem. Quemadmodum enim propter Adamum constituimur injusti & damnamur per imputationem alienæ injustitiae, seu inobedientiae, supposita ejusdem participatione, per nativitatem facta; ita propter Christum constituimur justi & salvamur in ordine participationis, seu nativitatis spiritualis, qua concipitur fides, Christum apprehendens.

Ad comma 15.

1. Verba commatis antecedentis ultima indicaverant convenientiam Adami & Christi. Cum vero gratia restitutionis statui desstitutionis non sit ἵστημεν, sed ἐπιμετροῦ, seu excellentior; hæc disparitas, seu gratia prærogativa, nunc adseritur, scilicet Christi gratiam nos non solum ab Adami peccato in nos derivato, sed ab aliis etiam peccatis omnibus, quæ priori nexu nostra sunt, liberare.

2. In membro commatis hujus primo est ellipsis τὸ σῆμα, aut similis verbi: *Non ut peccatum se habet, ita etiam donum,*

3. Περιπτώμα hic est peccatum Adami actuale, seu primum, quod solum imputatur posteris, quia eodem amisit depositum, ipsi pro posteritate universa concredidit. Subsequens vero Adami peccata posteris non imputantur, quia privata ipsius solius fuerunt, in quibus is, labe posteris originaria jam contracta, non amplius federale caput exstitit.

4. Χάρισμα hic est gratia Dei merito Christi nixa, nos propter Christum habens pro acceptissimis, & justitiam ejus nobis imputans; sed non sine ordine regenerationis & fidei. Quia hujus vocis significatio hic etiam e collato commate 16. constat, ubi charisma illud dicitur tendere εἰς δικαιόματα εἰς δικαιωσίαν.

5. Multi, in utraque membro, hic sunt omnes universalisti-

SECTIO POSTERIOR EXEGETICA.

23

lisime, quotquot tota hominum multirudo continet, quemadmodum liquet ex oppositione, et e contextu, collato v. 12. & 18. Eodem sensu vox haec accipitur v. 19.

6. Mortuum esse hic est contraxisse cum reatu mortem omnis generis, uti v. 12. & 14.

7. Quod paullo ante dicebatur *χάρισμα*, conjuncta notione de gratia Dei Patris & Filii merito, hic divisim, seu duobus verbis, exprimitur, seu dicitur *gratia Dei & donum in gratia Iesu Christi fundatum*. Emendanda hic est versio LUTHERI in verbis: *Der der einige Menschen in Gnaden war.*

8. Verbum utrumque *ἀπέθεσεν* ex parte peccati, & *ἐπερσύσθετεν* ex parte *gratiae*, habet notionem temporis præteriti, in iudicio seu estimatione Dei, respectu *acquisitionis*, ad applicationem tendentis.

9. Ceterum *prærogativa restitutionis* præ destitutione est in *excellencia causæ*, quam Dei gratia præ peccato habet.

Ad comma 16.

1. Declaratur hic sententia præcedens de *prærogativa gratiæ* præ peccato, & ita quidem, ut, quod antea de *prærogativa causæ* dictum erat, nunc comprobetur per allegationem *prærogative effectus*, quam gratia præ peccato habeat.

2. In verbis prioribus: *ἡ ἡγεμονία δὲ τῶν αἰωνίων*, *εἰς consequentibus* hic subaudiendum est nomen *κρίμα* cum verbo *ἔξει*. Aut ita: Et non sicut per unum, qui peccaverat, peccatum, seu mors, venit in mundum, ita se habet *donum Laborat* hic iterum versio LUTHERI.

3. *Δώρημα* hic vi contextus idem est, quod *gratia & δωρεὰ ἐνχείρι*, donum in *gratia*, secundum v. 15.

4. *Κρίμα* est *reatus*, *judicio obnoxius*, seu *ducens ad iudicium*, ubi sit *κατάκριμα*.

5. *ἴξιον*, scilicet *παραπτώματος*, quam vocem sequens mem-

24 SECTIO POSTERIOR EXEGETICA.

membrum habet in plurali. De persona peccante adhibetur particula διὰ v. 12. conf. 17.

6. In integra propositione hic subaudiendum est verbum ἐστιν vel ἐπέχεται, aus einer Übertretung gereicht die Schuld zur Verdammnis.

7. Charisma est gratia justificans, uti liquet ex antecedentibus, & ex ejus effectu, qui hic est *justificatio*.

8. Δικαιώματα hic est *meritum*, quod e satisfactione redundant, & ad justitiam in justificatione imputatur. Unde τὸ δικαιώματα v. 18. vi gratia imputantis dicitur cedere εἰς δικαιώματα, ad justificationem.

9. In membro priori καὶ πάλιν ἐξ ἑρός, particula ἐξ notat causam reatus; sed in posteriori χάρισμα ἐν πολλῷ παραπομάτων, particula ἐν notat *objecatum*, seu terminum, a quo liberamur. Ceterum in utroque membro commode subauditur verbum παραπομάτων, ex antecedenti commate repetendum.

Ad comma 17.

1. Ratione coherentiae notandum est, Paulum jam dictis ita inhärere, ut ea ex parte aliis verbis modisque uberiorius declaret.

2. *Mors regnavit*, scilicet *ad condemnationem*; uti antecessit.

3. *Abundantia gratiae & donum justitiae* hic dicitur, quod v. 15. dicebatur *charisma*, item *gratia & donum in gratia*.

4. Vox δικαιούμενος hic reliquis addita indicat, sermonem præcipue esse de *justitia Christi imputata*. Et hoc comprobat contextus v. 16. & 18.

5. Διαμοθάνειν hic est verbum *fidei* apprehendentis & recipientis.

6. *Regnare in vita*, est in accensione fidei jam accepisse vitam spiritualem, in eaque experiri fructus gratiarum justificantium,

SECTIO POSTERIOR EXEGETICA.

tis, seu frui bonis spiritualibus, dominio peccati excusso, & reliquiis ejus magis magisque enervatis, cum certissimo regni gloria obtinendi eventu.

7. Ceterum quæ hactenus de peccato & morte dicta sunt, egregie illustrant *commimationem divinam*, de peccato & morte in paradiſo dataam. Speciarim ex hujus integri loci collatione liquet, præmonitionem illam Dei non fuisse nudam *prædictionem eventus*, sed *commimationem* proprie dictam, seu sensu judiciali talem. Et hunc sensum confirmat paraphrastes Chaldaeus, Jonatham, quando verba, *moriendo morieris*, reddidit, *eris mortis reus*: qua notione judiciali 2 Sam. XII, 5. XIX, 29. phrases *בְּנֵי נָשִׁים מְרוֹת*, positas esse videoas. Confer etiam illud Pauli Rom. VIII, 13. *Si secundum carnem vixeritis, morienti-*

Ad comma 18.

1. Apostolus, comparationem Adami & Christi conclusurus, momenta ejus præcipua repetit urgetque, & ita quidem, ut ipsi conclusioni, quæ ad finem usque capitis extenditur, pro affectus sui abundantia & rei gravitate, aliquanto longius inharet.

2. Vox ἐνος in utroque membro ponitur substantiæ, sensu ad Adamum & Christum relato, ut e. v. 17. & 19. liquet.

3. In utroque membro est ellipsis, ex antecedentibus sic supplenda: *Quemadmodum per unius delictum χριστα ἐγχεταγιου* dicitur venit, seu *βάρατος θανάτος*, mors regnat, *in omnes homines ad condemnationem*; sic *etiam per unius δικαιώμα*, meritum seu gratia regnat, seu quam efficacissime se exerit, *in omnes homines ad justificationem vitæ*.

4. *Justificationem* hic in sensu forensi accipi, liquet ex
D oppo-

26 SECTIO POSTERIOR EXEGETICA

opposito, seu præmissa voce *κατάκριμα*®, quemadmodum significatio vocis, *δικαιώμα*, ex ejus opposito, quod est *παράπτωμα*, colligitur.

5. Justificatio dicitur *justificatio vite*, quia in ordine collata vita spiritualis per eam homo vita æternæ candidatus constituitur, morte in victoriæ absorpta.

6. Notanda est *universalitas* in utroque membro. Et cum in priori membro ea sit absolute sine ulla exceptione, vi comparationis eadem non potest non etiam in posteriori ita accipi. Nec obstat, non omnes actu justificari ad vitam; si quidem neque per Adami lapsum omnes actu condemnantur, & nihilo tamen minus salva est prioris membra universalitas.

Ad comma 19.

1. Hoc comma habet explanationem præcedentis, ut pote quo *disparitas causæ & effectus* ex parte Christi & Adami denuo declaratur.

2. Atque ita *παράπτωμα* hic explicatur per *παρακονή*; *δικαιώμα* per *ὑπανοήν*; *κατάκριμα* per *κατάστασιν ἀμαρτωλῶν*, nimirum mortis peccatum addictorum; *δικαιώσις* per *κατάστασιν δικαιῶν*, constitutionem justorum.

3. Non autem mera hic est synonymia, sed talis, quæ aliquam notionum diversitatem habet, & uberiorem dictorum expositionem affert. Etenim quis fuerit modus, quæ ratio *παραπτόμετ*® & *δικαιόμετ*®, indicatur voce *παρακονή* & *ὑπανοής*. Item quomodo *παράπτωμα* unius cedere posit in condemnationem multorum; scilicet quia eodem peccatores, ratione culpa tales, constituantur: & quomodo *δικαιώμα* unius efficere queat multorum *δικαιώσιν*; quia scilicet justos con-

SECTIO POSTERIOR EXEGETICA.

27

constitutat eosdem. Justi autem non possunt non salva iustitia absolvī, uti rei condemnari. Verbum *κατασταθήσο-*
ται, supposito præterito & præsenti, in notione futuri referatur ad resurrectionem mortuorum & extremum judicium, ubi comparebunt justi, cum emphasi tales. Conf. Apocalyp. XIX, 8.

4. Vocem vero *multus* hic notionem universalitatis habere, itidem liquet ex antecedenti commate, & ex oppositione, uti v. 15.

5. Non vero prætereundum est, vocem *multus* pro *omnis* utrobique adhiberi oppositionis caussa, relatae ad vocem *unus*, in utroque membro positam: utsiote cui vox *multus*, quam *omnis*, significantius opponitur.

Ad comma 20. 21.

1. Dixerat Apostolus v. 13. peccatum extitisse jam ante legem Mosis latam, non vero fuisse satis agnitus. Nunc ergo addit, quem in finem lex fuerit lata, scilicet ut peccatum hæreditarium reddat exuberans, nimirum in seria agnitione & detestatione: & hoc eum in finem, ut agnita peccati magnitudine etiam gratia abundantia recte agnoscatur; & quidem ut in applicatione, sic præcipue etiam in acquisitione, ut ejus magnitudo recte estimetur.

2 Lex dicitur παρεπειστεύειν, neben einkommen/ quia peccatum dicitur εἰσελθόν. v. 12.

3. Verbum ὑπερπειστεύειν indicat eam gratia abundantiam, quam exuberanti mensura præ περιστέα, seu abundantia peccati, per ministerium legis effecta, habeat, secundum v. 15. & 16.

4. ἐν τῷ θαυμάτῳ: hic τὸ ἐν rectius explicatur per *per*,
D 2 quod

28 SECTIO POSTERIOR EXEGETICA.

quod in altero membro voci *justitiae* præponitur, quam, per
iis, ita tamen, ut mortis æternæ eventus hic omnino includatur,
hoc sensu: peccatum regnabit per mortem, & una
cum morte v. 17 per eandem suam vim exferens, & cum
eventu exitii æterni in æternum regnaturum, nisi Christus in-
tervenisset.

5. *Justitia* hic est justitia Christi imputata, uti liquet
ex integro contextu, & ex ultimis hujus commatis
verbis.

OBSERVATIONES EXEGETICAE

ad comma 3. cap. II. Epist.

ad Ephesios.

Eramus natura filii iræ, quemadmodum & reliqui.

Circa quorum verborum sensum & applica-
tionem ad rem præsentem tria notanda sunt:

1. UNIVERSALITAS in *subjecto*, ιμεῖς, ὡς καὶ οἱ λοιποὶ,
nos Judæi, & reliqui, scilicet populi. Atque ita omnes ad
unum homines, seu totum humanum genus ab Adamo pro-
pagatum. Huc pertinet Pauli scopus in hac epistola, qui
erat prædicare gratiam & communionem Messias universalis,
non Judæis solum, sed reliquis etiam gentibus, paten-
tem & pro communi naturæ corruptione summe necessari-
am. Conf. Rom. III, 19.

2. PROPRIETAS vocis φύση, *natura*. Hæc notat ipsam
nascendi sortem & conditionem, seu indelem plane natura-
lem ac innatam; quemadmodum liquet e locis parallelis
Gal. II, 15. φύση, *natura*, seu per ipsam nativitatem, *Judei su-*
mūs,

SECTIO POSTERIOR EXEGETICA.

29

mus, non peccatores ex gentibus. Rom. II, 14. *Gentes, quæ legem non habent, Φύσις, natura,* h. e. secundum conditionem & instinctum plane naturalem, seu natura ac per ipsam nascendi sortem insitum, faciunt ea, quæ sunt legis u. t. λ. Eadem quoque est ratio hujus vocis hoc loco, ita ut significet id, quod David exprimit Psalm. LI, 7. *En! inquiens, in iniquitate formatus sum, & in peccato fovi me mater mea:* & quod Christus his indicat verbis: *Quidquid ex carne natum est, caro seu corruptum est* inde ab ipsa nativitate, non demum ex asperitudine prava; ita ut regeneratione opus sit, Jo. III, 6.

Locum ad Gal. IV, 8. *serviebatis quondam illis, qui Φύσις, natura,* seu essentia, non erant dii: uti & illum Jacobi c. III, 7. *omnis natura bestiarum domatur τῇ Φύσει τῇ αὐτοφυτῇ, natura humana,* h. e. ab ipso homine; hue non pertinere, manifestum est. Notat enim in locis hisce posterioribus natura ipsam rei essentiam. Per quam cum homo filius iræ non sit, loca hæc sunt heterogenea.

3. EMPHASIS locutionis, *τέκνα ὄργης, filii iræ,* dijudicanda ex Hebraismo, secundem quem vox **בָּן** filius, cum voce, quæ reatum supponit, constructa, reatum notat, cum respectu ad poenam, vi reatus e regula iustitiae infligendam. Hoc sensu Hebreis **בָּן** filius mortis est, non qui morti per naturam cum omnibus aliis mortalibus est obnoxius, natura per corruptionem tandem concidente; sed qui ob certam culpam est sub mortis reatu ac poena, vi justi judicii irroganda, & per obligationem subeunda. Hoc sensu, et si cum iniqua applicatione, Saul ad Jonathanem de Davide: *Mitte, inquietabat, & captum adduc eum ad me, quia filius [reus] mortis est.* Quo reatus falso imputati sensu agnito, Jonathan

D 3

30 SECTIO POSTERIOR EXEGETICA.

than respondebat: *Quare morte adficeretur? quid commisit?*
1 Sam. XX, 31, 32.

Sic de Abnero & reliquis Saulis satellitibus, salutem ejus negligentibus, hanc sententiam pronuntiabat ιχθεόφιλος David: *Non est bona hec res, quam fecisti: ut vivit Jehova, filii mortis es tu, ex ipso jure gentium mortis supplicium commeriti* 1 Sam. XXVI, 16.

Eodem sensu David in agni raptorem, a Nathane tecto sermone delatum, justum judicium dicturus: *Filiu*, seu reus, inquietabat, *mortis est vir ille, qui fecit hoc* 2 Sam. XII, 5. Conf. Deut. XXV, 2. ubi *filius cædendi*, seu *plagarum LXX. est αἷς τληγῶν*. Lutherus der Schläge verdienet hat.

In Novo Testamento *filius gehennæ* est reus exitii æterni Matth. XXIII, 15. & *filius maledictionis* sunt, qui culpa sua eam promeriti sunt. 2 Pet. II, 14. *filius perditionis*, qui ejus reus est Jo.XVII, 12. 2 Thesf. II, 3.

Ex his liquet, *iræ filios esse iræ*, seu *justitiae vindici*, ipsique *penæ*, quam illa irrogat, obnoxios, & quidem ob *reatum*, non quem dénum per crimina sua attraxerunt, sed quo, jam inde a nativitate sua, seu φύσι, laborant, lapsi Adami, in supposito participationis ordine, ipsis imputato. Conferatur Rom. III, 19, ubi dicitur universus mundus *ιπόδιντως θεῷ*, h.e. *ex reatu Dei judicio in panam obnoxius*.

Not. Hunc locum Pauli Eph. II, 3. **POIRETUS** Oeconom. Tom. I. L. II. c. XVII. §. XX, XXI. p. 578. seqq. non male vindicat adversus CLERICUM, dum ex eo probat, peccati labem omnibus hominibus jam tum natura inharrere. Sed subsistit vir doctissimus in sola inharentis damni descriptione, REATUS vero ne ullam quidem mentionem facit, silentio suo etiam hic testatus, se in peccato non statuere *reatum*. Et sic sententiam de *reatu*, quam refellere non potuit, præterire maluit. Eandem præteritionem videoas Tom. II. c. 15. p. 819. seq. in superficiaria illustratione cap. V. ad Romanos.

73 5225

ULB Halle
002 698 757

3



St

Nb 18

Mt

B / G.

Farbkarte #13



Q. D. B. V.
2229
DISSERTATIONUM ANTIPOIRETIANARUM
ET SIMUL ANTISOCINIANARUM
TER TIA
DE
**CULPA SEU REATU
ET POENA PECCATI,**
SPECIATIM ADAMICI,
ET DE PECCATORIS DEBITO;
TANQVAM OBJECTO JUSTITIAE DEI VIN-
DICIS, ET SUPPOSITO DOCTRINAE DE SA-
TISFACTIONE ET JUSTIFICATIONE FORENSI:

QVAM
IN REGIA FRIDERICIANA
die VIII. Aug. anni hujus MDCCXIX.
PRAESIDE
JOACHIMO LANGIO,
SS. THEOL. D. ET PROF. ORD.

Publicæ disquisitioni submittit
RESPONDENS
JOANNES JOACHIMUS LANGIUS,
BEROLINENSIS, S. TH CULTOR.

HALAE SAXONUM,
Typis JOAN. FRID. KROTTENDORFII, Acad. Typ.